

pietatem incitavit Drexellius loco pariter citato: *Reviviscat, obsecro, saltem aliquid priscae Religiositatis in sacra musica. Quod si cordi est et curae divinus honor, hoc agite viri, hoc laborate, ut quae cantantur verba, simul etiam intelligantur. Quid enim mihi varius in Templo sonus, quid multiplex concentus, si desit ei nucleus, si sensum et verba, quae concentus sunt instillanda, percipere nequeam?* Et demum ostenditur non sine causa Cardinalem Dominicum Capranicam, cum sacrae cuidam functioni Divinisque Officiis interfuisset, quae cantu musico peracta fuerant, ita tamen ut verba non audirentur, rogatum a Summo Pontifice Nicolao V., quid de musicis illis cantionibus ei videretur, ea respondisse, quae legi possunt apud Poggium in vita ejusdem Cardinalis edita a Balutio *lib. 3. miscellaneorum §. 18. pag. 289.* Magnus Pater Augustinus *lib. 9. Confess. cap. 6.* de se ipse testatur, cum in Ecclesia suaves hymnorum cantus audiret, in lacrymas effundi consuevisse: *Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant auribus meis et eliquebatur veritas tua in cor meum et ex ea aestuabat. Inde affectus pietatis et currebant lacrymae et bene mihi erat cum eis.* Cum autem ea magna delectatio, quam in audiendis Ecclesiasticis hymnis percipiebat, in religionem ei venisset, et ideò quadam severitate morum Dei que offensi metu, cantum illum, quo sensibilis illa oblectatio ipsi creabatur, improbandum esse censeret; postea re melius expensa, sententiam mutavit, eò quia animus ejus commoveretur non solo cantu sed verbis cantui conjunctis, ut ipse aperte declarat *lib. 10. Confess. cap. 33.* Flebat igitur Augustinus tenerrimo pietatis sensu, cum audiret in Ecclesiis sacrarum rerum

cantus, probè audiens et intelligens verba, quae cantu efferebantur: fletet forsitan etiamnum ipse, si nonnullarum Ecclesiarum musicos cantus audiret, non pietatis sensu sed doloris, quod cantum perciperet, verba autem non intelligeret.

Hactenus de cantu musico: *Consequens est, ut de sono organi musici aliorumque instrumentorum, quorum usus in aliquibus Ecclesiis admissus est, verba faciamus.* Siquidem et de eo agere necesse est, quia si cantum minimè decet esse theatralem, utique neque sonum. Profectò Hebraeis hac de re omnis dubitatio longè aberat, an scilicet dissimilis esse deberet cantus in Templo a profanis cantionibus theatrorum. Nam e Sacris Scripturis comperitur, cantus et musicorum Instrumentorum sonos usui fuisse in Templo non autem in theatris, ut bene advertit *Calmet in sua dissertatione de musica Hebraeorum.* At verò Nobis opus est, limites cantui et sono Ecclesiarum et theatrorum praescribere et discrimen inter utrumque definire, cum per id tempus cantus figuratus seu harmonicus cum sono instrumentorum in theatris aequè ac in Ecclesiis locum obtinuerit. Et quoniam de cantu jam satis verba fecimus, superest, ut etiam de sono idem agamus. Ut verò sermo ordine suo ac via progrediatur, *primum de instrumentis musicis, quorum usus in Ecclesiis tolerari potest; deinde de illorum instrumentorum sono, qui cantui sociari solet; et demum de sono separatim a cantu, hoc est de instrumentorum symphonia Nobis disserendum erit.*

Et quidem quod ad instrumenta atinet, quae in Ecclesiis permitti possunt, Benedictus Hieronymus Feijoo in alligato sermone *14. §. 11. n. 43. organa aliaque instrumenta admittit, amoveri autem vellet lyras tetracordas: quo-*

niam cum illae plectro tanguntur, harmonicos quidem modos edunt, sed adeo acutos, ut puerilem in Nobis potius hilaritatem quàm gravem erga sacra mysteria venerationem animorumque intentionem excitent. *Bauldry in manual. sacrar. caeremon. par. 1. cap. 8. num. 14.* vellet, ut caneretur in Ecclesiis organo tantum pneumatico, tubis caeterisque instrumentis inflatilibus seu pneumaticis: *Nec alia instrumenta musicalia cum organo pulsantur, nisi tubae, tibiae aut cornua.* E diverso Patres primi Concilii Provincialis Mediolanensis sub S. Carolo Borromaeo *tit. de Music. et Cantor.* nominatim rejiciunt ab Ecclesiis instrumenta inflatilia: *Organo tantum in Ecclesia locus sit: tibiae, cornua et reliqua musica instrumenta excludantur.* Hominum prudentum et illustrium Magistrorum artis musicae consilium exposcere Nobis curae fuit, consentaneum autem cum eorum sententiis est, ut Fraternalitas Tua, si in tuis Ecclesiis instrumentorum usus introductus est, cum organo musico nullum aliud instrumentum permittat, nisi *barbiton tetracordon majus, tetracordon minus, monaulon pneumaticum, fiduculas, lyras tetracordes:* haec enim instrumenta inserviunt ad corroborandas sustinendasque cantantium voces. Vetabit autem tympana, cornua venatoria, tubas, tibias decumanas, fistulas, fistulas parvas, psalteria symphonica, cheles aliaque id genus, quae musicam theatralem efficiunt.

Praeter haec autem de usu instrumentorum, quae in ecclesiasticis musicis permitti possunt, nihil monebimus, nisi ut illa adhibeantur solummodo ad vim quamdam verborum cantui quodammodo adjiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem

et erga Deum Divinarumque rerum amorem incitentur, ut appositè expendit *Valentia tom. 3. 2. 2. S. Thomae disp. 6. quaest. 9. punct. unic.,* ubi tractans de utilitate musicae et musicorum instrumentorum in Ecclesiis: *Ad excitandum, inquit, interiorum affectum tum proprium tum etiam aliorum, praesertim vulgari, qui interdum adeo infirmi sunt, ut non modo vocum cantu sed etiam organis et musicis instrumentis ad sensum rerum spiritualium concitandi sint.* At verò si instrumenta continenter personent et solum interdum, ut hodie fieri solet, per momenta aliqua interquiescant, aut liberum spatium audiendis harmonicis modulationibus crispatisque jaculationibus vocum, vulgò *trilli,* praebeant, caeterum opprimant sepeliantque cantantium vocem sonumque verborum, frustraneus est et inutilis hujusmodi instrumentorum usus imo vetitus atque interdictus. Pontifex Joannes XXII. in laudata *Extravagan. Docta Sanctorum* inter musicae abusus enumerat illum, quem his verbis exprimit: *Melodiam loquentis intersecant, id est singultibus, quemadmodum explicat Carolus Dufresne in suo Glossario; hoc nomen dedit concisis illis modulationibus, vulgò trilli.* Magnus Episcopus Lindanus loco laudato invehitur contra abusum opprimendi instrumentorum sono verba cantantium: *Tubarum clangore, cornutorum stridore alioque strepitu vario, ne quid praetermittere videatur, quod cantici verba semel obscuret sensumque sepeliat et adobruat.* Pius et doctus Cardinalis Bona in pluries laudato tractatu de *Divina Psalmidia cap. 17. §. 2. num. 5.* appositè ad rem nostram. *Desino, ait, si prius admonuero Ecclesiasticos Cantores, ne ad usum illicitae voluptatis assumant, quod Sancti Patres ad effectum pietatis instituerunt. Talis enim debet esse*

mentororum confusione certatim omnia personent.

Datum Romae die 19. Febr. 1794.
(Bull. r. t. XVIII. p. 12.)

Cavendum est ne sonus organi sit lascivus aut impurus et ne cum eo proferantur cantus, qui ad Officium, quod agitur, non spectant, nedum profani aut lubrici, nec alia instrumenta musicalia, praeter ipsum organum addantur. Idem quoque Cantores et Musici observent, ne vocum harmonia, quae ad pietatem augendam est, aliquid levitatis aut lasciviae prae se ferat, ac potius audientium animos a rei divinae contemplatione avocet; sed sit devota, distincta et intelligibilis. *Caer. Ep. l. I. c. XXVIII. n. 11. 12.*

2) Locus in processione.

Cf.: Magister capellae; Cantores.

Ad dubium: Ubi et quomodo incidere debent Cantores in process. SSmi Corp. Chr. aliisque solemnibus? S. C. resp.: Servandum esse *Caer. Ep. c. 2. l. I. et alibi, eosque cotta indutos tunc incidere debere. Die 8. Oct. 1650.*

Ad dubium: An musici in process. et functionibus publicis possunt procedere in habitu saeculari et gladio cincti, unum corpus faciendo cum clero, vel debeant incidere in habitu clericali cum cotta? S. C. resp.: Non licere. Die 18. Mart. 1679.

Quum S. R. C. requisita fuerit a Canonico Dioecesis Brundusinae, quo loco procedere debeat concentus musicus, dum s. processionibus intervenit? S. C. resp.: Assignetur locus ab Episcopo, vero ante utrumque cle- rum. n. 4815 die 23. Sept. 1837.

Albanen.

Quum in solemnibus Supplicatione in hon. S. Pancratii Mart. Patroni praecipui Civitatis Albanen. vertente Anno

ibi instituta, contra invectam consuetudinem et Decreta S. hujus R. C. concentus musicus, vulgo *la Banda*, locum sumpserit Clerum Reg. inter et Saec., Religiosorum Ord. Convent., Carmelitarum et Capuccinorum ibi degentium Superiores, ne scandala in Populo orirentur, cum suis Alumnis eidem Supplicationi interfuerunt, sed interim S. ipsam R. C. rogarunt, ut declarare dignaretur, quid aliis in circumstantiis similibus sit exequendum, ne vel in minimo laedantur Ecclesiasticae sanctiones. Et Emi ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi, memores IX. Kal. Oct. de anno 1837 in una Brundusina sancitum fuisse, ut huic Concentui ab Ep. assignaretur locus in Processionibus, verum ante utrumque Clerum, referente subscripto Secretario, rescribendum censuerunt: „Detur Decretum in Brundusina die 23. Sept. 1837.“

Atque ita rescripserunt ac in similibus servandum omnino mandarunt. Die 7. Dec. 1844. n. 4981.

3) Protrahatio.

Ad relationem, quod in Missis solemnibus concentus musicales, qui ad rem non pertinent, misceantur, et in tantum spatium protrahantur, ut Sacerdotes otiosi diutius ad altare distracti haereant et caeremoniarum ordo inflectatur, ita ut non Musica Missae sed Missa Musicae famuletur —, S. C. resp.: *Indigere reformatione.* n. 1432 ad 2 die 24. Febr. 1643.

4) Coram SSmo expos.

Vd.: *Instructio Clem. §. III. n. 9 — 17. Expos. SSmi (cantus).*

MYSTERA ROSARII.

Vd.: *Rosar. (indulg.).*

N.

S. NARCISUS.

Officium s. Narcisi pro Regnis Hispaniarum concessum est pro diebus 18. Mart. et 29. Oct., prout recitatur in civ. et dioec. Gerundae. Ad petitionem, quo ritu celebrandum sit? S. C. resp.: Officium s. N. recitandum esse in Civitate et Dioecesi Gerundae 29. Oct. cum Missa sub ritu dupl. I. cl. cum octava. Die vero 18. Mart. de eo faciendum esse tantum commemorationem. In Regnis vero Hispaniarum recitandum esse sub ritu dupl. min. 29. Oct. tantum. n. 3439 die 3. Aug. 1697.

NATALITIA SANCTORUM.

Ad dubium: an dies natalitii ii omnes habendi sunt, qui, licet vere non sint dies obitus, tamen in Calendario fixi aut uti propria sedes et cuicumque festivitati alicujus Sancti, decreto ap. assignati sunt? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 3007 ad 1 die 28. Novb. 1682.

NATIVITAS D. N.

1) Cantorum habitus.

Ariminen.

Ad dubium: An in Matutino Noctis Nativitatis Dominicae duo Assistentes Sacerdotes parati cantaturi primas Homilias deferre debeant sub Pluviali Stolum diaconalem vel a collo pendentem, vel in modum Crucis ante pectus? Et quid si duo Assistentes essent unus simplex Diaconus, Subdiaconus alter? S. C. resp.:

„Negative juxta Generale Decretum die 7. Septembris 1816 et juxta Caeremoniale Episcoporum, Subdiaconus se absteineat a cantando Evangelio cum Lectione.“ n. 4681 ad 1 7. Apr. 1832.

2) Celebrans.

Episcopo absente in Nocte SS. Nativitatis Praepositus Officium facere debet in choro non vero Canonicus hebdomadarius. n. 1600 die 23. Jan. 1649. Vd.: *Matutinum sol.*

In functionibus in prima nocte et festo Nativit. Dom. absente Episcopo vel praesente et nolente eisdem assistere spectare ad Praepositum primam Dignitatem Cathed. cantato per ipsum in prima nocte Matutino, die mane festo Nativ. celebrare missam sol. n. 2683 die 3. Mart. 1674.

Ad Praepositum primam Dignitatem S. Miniati et non ad Hebdomadarium ejusdem spectare nocte Nativ. D. N. in defectu Episcopi peragere functiones Matutini et celebrare missam. n. 2710 die 4. Aug. 1674.

3) Communio in Nocte Nativit. Dom.

Vd.: *Communio.* (In Nocte Nativ.)

Ad dubium: Utrum liceat sacerdoti post primam missam celebratam communicare laico modo?

Vd.: *Missa* (interrupta per mortem sacerdotis. *Nota ad finem.*)

Pius PP. VI.

(Monialibus Monasterii s. Florae civit.)

Exponi Nobis nuper fecistis, quod ob specialem consolationem et animarum vestrarum profectum in solemnibus missa, quae in nocte nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari solet, SS. Eucharistiae Sacramento refici cupiatis, Nobis propterea humiliter supplicari fecistis, ut vobis in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dig-

sonus, tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed eorum, quae cantantur, sensui et pietatis affectui, majorem relinquunt portionem.

Demum quod *symphonias* attinet, tolerari poterunt, ubi earum usus jam receptus est, dummodo graves sint et earum prolixitudine aut diuturnitate taedium et fastidium non afferunt iis, qui adsunt in Choro vel Altari, in Vesperis aut in Missis inseruiunt. De hujusmodi symphoniis agit *Suarez lib. 4. cap. 13. num. 17: Unde etiam intelligitur non esse per se damnabilem usum intermiscendi in Divinis Officiis sonum organorum sine ullo cantu, solum cum suavitate musicae instrumentorum, ut fit interdum in Missa solemnibus vel in Horis Canonicis inter Psalmos; quia tunc ille sonus non est pars Officii et fit ad solemnitatem et reverentiam ipsius Officii et ad levandos animos fidelium, ut facilius ad devotionem assurgant seu disponantur. Quamvis autem ad illum sonum nihil voce cantetur, oportet, ut sonus ipse gravis sit et aptus ad excitandam devotionem.* Hoc autem loco silentio praetereundum non est, rem maxime indecoram esse et minime ferendam, quibusdam anni diebus sumptuosas personantesque symphonias musicosque cantus in Sacris Templis celebrari, quae minime conveniunt sacris mysteriis, quae Ecclesia fidelibus per id tempus recolenda proponit. Exclamat ardenti zelo motus saepe laudatus Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis in *laudato sermone 14. §. 9.* contra modulos et cantilenas heu nimium adhibitas in canendis lamentationibus Jeremiae Prophetae, quae ab Ecclesia dicendae praescribuntur diebus majoris hebdomadae, in quibus modo eversio Urbis Hierosolymae per Chaldaeos, modo mundi excidium per peccata, modo

Ecclesiae militantis afflictiones in persecutionibus, modo Redemptoris Nostri angustiae in suis passionibus deplorantur. Lucensis Ecclesia sedente in Apostolica Cathedra S. Praedecessore Nostro Pio V. regebatur ab Alexandro zelantissimo ecclesiasticae disciplinae pastore; qui cum animadvertisset, diebus majoris hebdomadae exquisitissimos omnis vocum instrumentorumque generis concentus in Ecclesiis fieri consuevisse, cum sacrarum functionum, quae illis diebus celebrantur, moestitiae minime consentientes, ad illos autem audiendos homines utriusque sexus magna frequentia cupidissime confluere et gravia inde peccata et scandala committi, promulgato edicto eos hebdomada sancta et tribus subsequentibus Paschatis diebus fieri prohibuit. Cum autem quidam exempti ab Episcopi jurisdictione se episcopali lege minime teneri praetenderent, Episcopus rem detulit ad S. Pontificem Pium V., qui in ejus Brevi dato die 4. April. 1571 deplorata primum humanarum mentium et carnalium hominum coecitate, qui non solum in diebus sacris sed potissimum in illis, qui memoriae passionis Christi Domini recolendae speciatim ab Ecclesia assignati sunt, posthabita pietate et sincerae mentis puritate, mundanarum oblectationum illecebris et sensuum voluptatibus se regendos ferendosque tradunt: *Quod, inquit, cum in omnibus sacris temporibus, tum in eo praecipue, cavendum vitandumque est, quod Dominicae passionis memoriae recolendae ab eadem Ecclesia statutum assignatumque fuit, in quo ipso tempore maxime decet omnes Christifideles tota mente ad contemplandum tale tantumque Redemptoris Nostri beneficium conversos, se ipsos ab omni cordis sensusque impuritate immunes liberosque praestare.* Refert post haec ab usum, qui in Ecclesiam Lucensem

irreperat, exquisitos seligendi per hebdomadam sanctam, excellentesque musicos et colligendi omnis generis instrumenta ad solemnes concentus musicos celebrandos: *Nuper non sine magno animi nostri dolore intelleximus, in ista Civitate, cujus Episcopatum geris, abusum quemdam valde detestabilem irrepsisse, exquisitissimas omnis vocum instrumentorumque generis musicas in Ecclesiis per hebdomadam sanctam adhibendi, ad quas potius quam ad Divina Officia audienda, omni utriusque sexus juventute magna frequentia cupidissime confluyente, gravia peccata nec minora scandala committi experientia comprobatum est.* Demum laudat edictum Episcopi et decretis sacrosancti Tridentini Concilii inhaerens declarat, eodem edicto comprehendi atque obligari etiam Ecclesias, quae ab auctoritate Ordinaria, privilegio Apostolico vel alio quocumque jure exemptas se esse contendunt. In Concilio Romano, quod novissime habitum est anno 1725 tit. 5. num. 6. varia leguntur Decreta de usu musici cantus instrumentorumque, in Adventu, in Dominicis Quadragesimae et in exequiis mortuorum, quae satis sit indicasse.

Legisse Nos meminimus, cum Imperator Carolus Magnus secum proposuisset Ecclesiasticum cantum in Ecclesiis Galliae incompte atque inscite habitum, ad regulas artis redigere, impetrasse a Pontifice Adriano I., ut homines sibi Ecclesiasticae musicae periti ab Urbe mitterentur, a quibus in Galliarum Regnum Romanus cantus facile introductus est, ut quisque per se agnoscere potest ex *Paulo Diacono lib. 2. Vit. S. Greg. cap. 9., et ex Rodulpho Tugrensi de Can. observ. prop. 12., S. Antonin. in Sum. Hist. par. 2. tit. 12. cap. 3.* Monachus Engolismensis in *Vita Caroli Magni cap. 8.* addit, Cantores, qui Roma advenerunt,

docuisse in Galliis autem etiam pulsandi organum musicum, quod regnante Pipino in Galliarum Regnum delatum fuerat. Itaque cum solemne et regulare sit, ut haec Romana Urbs aliis omnibus Civitatibus in sacris ritibus caeterisque ecclesiasticis rebus praeire debeat exemplo et documento esse, insuper accedunt, et ea, quae mox a Nobis narrata sunt de Carolo Magno, qui ecclesiasticum cantum è Romana Urbe tanquam è suis sedibus in suum Regnum evocavit; quae quidem acrius Nos urgent atque extimulant, ut abusus omnes, qui in cantu ecclesiastico irrepererunt et a Nobis reprobati sunt in omnibus, quoad fieri potest, sed praecipue in Romanae Urbis Ecclesiis penitus aboleantur. Sed quemadmodum Nos nostro Cardinali in Urbe Vicario, quae necessaria sunt atque opportuna, praecipere non omissimus, ita Fraternalitas tua publicare non negligat, si opus fuerit, edicta et leges, cum hisce Nostris circularibus Literis consentaneae sint et quibus Ecclesiasticus cantus convenienter ad regulas in iisdem Literis praescriptas et stabilitas dirigatur, ut tandem musicis Ecclesiarum reformandis initium praebeatur. Nam id ipsum maxime optatum ac desideratum est, cum a pluribus, tunc centum abhinc annis a Joanne Baptista Doni Patrio Florentino in ejus Tractatu de Praestantia Musicae veteris lib. 1. pag. 49: *Nunc verò eò redacta res est, ut nec quisquam reperiatur, qui effaeminatum quemdam et leviusculem, qui jam passim invaluit, canendi modum severa lege cohibeat, nec affectata illa prolixaque, ac saepe hiulca melismata ad certam normam redigenda existimet, aut dies solemnes aedesque sacras suam celebritatem ac frequentiam habituras putet, nisi mollioribus ac saepe parum decoris cantibus magnaque vocum ac instru-*